



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraenesis De Eleemosyna

Alardus <Aemstelredamus>

[Köln], 1545

VD16 A 1250

Ob ingratitudinem non esse supersedendum ab erogando.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63012](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63012)

DE E L E E M O S Y N A.

Ob ingratitudinem non esse supersedendum ab ergando.

Seneca libro pri. de beneficijs, capite primo. Nō
est autē quod tardiores nos faciat, ad benc me-
rendum, turba ingrator. Nam primū ut (dixi) illā
inertiam augemus, deinde ne deos quidem immor-
tales ab hac tam effusa necessitate, sacrilegi, negli-
gentesque eorū deterrent. Utūtur natura sua, & ip-
sos munerum suorū malos interpres iuvant. Hos
sequamur duces, quantum humana imbecillitas pa-
titur. Demus beneficia, non fñneremur. Dignus est
decipi, qui de recipiendo cogitauit, cū daret. At ma-
le cessit. Et liberi & coniuges sæpe fefellerunt, ta-
men & educamus & ducimus. Adeoque aduersus
experimēta pertinaces sumus, ut bella uicti, & nau-
fragi maria repetamus. Quanto magis permanere
in dandis beneficijs decet, quæ si quis non dat quia
non recipit, dedit, ut reciperet, bonamque ingrato-
rum facit causam, qbus turpe est non reddere. Quā
multi indigni luce sunt, & tamen cis dies oritur.
Quam multi quod nati sunt quæruntur, tamen na-
tura sobolem nouam gignit, ipsosque qui non fu-
isse mallēt, esse patitur. Hoc & magni animi, & bo-
ni proprium est non fructum beneficiorum sequi,
sed ipsa, & post malos quoque bonum quærere.
Quid magnifici erat multis prodeesse si ncmo dece-
perit? Tunc est uirtus dare beneficia, non utique re-
ditura quorum à uiro egregio statim fructus per-
ceptus est. Adeo quidem ista res fugare nos & pi-
griores ad rem pulcherrimam facere non debet. Ut

DE ELEEM OSYNA.

Nisi spes mihi prædicatur gratum hominem reperiendi, malim non recipere beneficia, quam non dare. Quia qui non dat, uitium ingrati antecedit. Dicam quod sentio. Qui beneficium non reddit, non magis peccat, quam qui non dat citius.

Dissertatiunculae pro mendicitate.

Nunc accipite aduersariorum, & in his maxime Vnicclenorū & horum sequariū Amororum pugiones plus q̄ plumbeos, quibus mendicos & pauperes iugulare conantur. Scriptum est, inquit, Deut. capite 15. Omnino indigens & mendicus non erit inter uos. Quis porro tam cæcus ut non uideat, quis tam impudens ut neget, hoc nō fuisse legis præceptum, sed promissum his qui legem illam seruarent ea conditione, ut legem mortis seruantibus solum temporale, ac præterea nullum responderet præmium. Quod genus est illud Amos nono: Apprehendet arator messorem. Ac illud item Esaiæ pri. Si audieritis me, bona terræ comedetis, aliaque consimilia eatenus implenda, quatenus in legē statuta non offendenter. Nimirum si dei mandata seruassent, non fuisset egens & mendicus inter eos. Verum quia subinde in legem deliquerunt, & quidē grauiter, Idcirco promissum amiserunt. Neq; uisum est domino quotquot legem prævaricati essent, ut continuo egerent aut certe mendicarent, sed in pœnam peccati uoluit illos habere mendicos & egenos, quos bonis suis diminuendis pro sua quique uirili sustentarent. Age uero, quid tandem peccauit Helias propheta, præco præterquā optimus,